

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

*Moralitate Studii Theologorum
Tropologici,*

Quod,

CONSENSU MAX. VEN. FACULT. THEOL.

IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. LAUR. O. LEFREN,

S. S. THEOL. PROF. REG. ET ORD. NEC NON ECCL. QUÆ

CHRISTO IN VALLE GRATIÆ, RESO ET MERIMASKO

COLLIGUNTUR, PASTORE ET ACAD. H. T. RECTORE,

Publicæ censuræ modestè offert

ADOLPHUS NORDGREN,

V. D. M.

In Auditorio Majori die XI Martii MDCCXCVII.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.



§. I.

Studio veritatis et pietatis optime consultum ibant Ecclesiae Doctores, quamdiu sua omnia ex *vero et puro* SACRARUM LITTERARUM hauriebant *fonte*, et plus pretii statuebant *simplicitati ac sinceritati*, quam Spiritus Sanctus, Scripturae Auctor, utitur, quam *phaleratae eloquentiae* Sapientum hujus seculi. Ex quo vero usu venerat, ut Christo nomina darent et docendi provinciam in Ecclesia administrare inciperent homines, qui ante sui conuersionem *Philosophiae et Eloquentiae* operam dederant, mox tristem faciem ostendere incipiebat doctrina Christiana, quippe cujus et *materia et forma*, alienis laciniis adsutis, alterata conspiciebatur. Inter alia laciniarum genera, quae Eam dehonestare coeperunt, innumeras referimus TROPOLOGIAS, quibus, ut quisque sibi videbatur doctior, ita ad has multiplicandas diligentius, quam sapientius incubuit. Nobis igitur, cum specimen quaecumque Academicum edere statuissemus, de *moralitate studii Theologorum* TROPOLOGICI breuissimam quendam commentatiunculam adornare visum fuit, quam ut B. L. in meliorem interpretetur partem, quo decet studio et officio rogamus.

§. II.

Prius vero, quam ad ipsum progrediamur institutum, paucis saltem verbis evolvisse juvabit *notiones vocabulorum*, quibus opellam nostram inscripsimus. In primis igitur necesse est docere, quid nomine *TROPOLOGIÆ* intellectum velimus, ne quis nos de *tropis Rhetorum* scripturos suspicetur. Nobis itaque *TROPOLOGIA*, a *τρόπος*, *modus*, et, *λόγος*, *doctrina*, nihil aliud est, quam illa ipsa Theologorum solertia, qua *modos* explicant, quibus *sunt* vel *funt* res, quas sua in disciplina tractant. Nomine *MORALITATIS* nobis venit affectio actionum, quæ *rectæ* aut *pravæ*, *bonæ* aut *malæ* feruntur. Bonæ sunt, quæ *bonum*, et *pravæ*, quæ *pravum* producant *effectum*. *Rectæ* vero dicuntur quatenus conveniunt, *pravæ* autem quatenus repugnant Legi, quæ hic alia non est, quam usus Sacrarum Litterarum. Quos *essendi* aut *fiendi* modos in his diserte *expressos* invenimus, eos et nos *exprimere* studebimus, idque tam *sanctè*, ut nobis quidquam *addere*, *demere* aut *mutare* religioni ducamus. Quæ non Spiritus Sanctus in Sacra pagina nos *reticendo* celavit, de iis ne quærere quidem operæ pretium esse iudicabimus, quippe quod non solum esset *inane* sumere *laborem*, quo nihil proficitur, sed *dementem* quoque *impietatem* prodere. Nostro enim iudicio, ea *scire velle*, quæ Deus sapientissimus nostrique amantissimus nos *latere voluit*, tantundem est, ac Eum aut *incuriæ* aut *invidiæ* accusare, quasi Is

esset, qui perfectiorem nostri institutionem, aut languida impeditus *inertia*, promovere molestum duceret, aut promotam *æquo animo* intueri non posset, quorum utrumque omni insania insanius est, quamvis hoc iis in mentem non veniat, qui *perverso* tropologizandi studio tenentur.

§. III.

Quod ad eas attinet *Tropologias*, quas *Sacræ* Litteræ diserte produunt, ac rube dolendum, quod ingenii humani tanta sit insolentia ac intemperantia, ut, iis non contentum, ad *novas figendas* diligentius quam sapientius ferri soleat, quod uno alterove exemplo declarasse non pœnitebit. GRATIAM DIVINAM unicum salutis nostræ et fundamentum et firmamentum esse, expresse docet Littera Scripturæ divinitus revelatæ: GRATIA Dei salutaris est omnibus hominibus Tit. II. II. GRATIA salvati estis Eph. II. 6. Quamvis autem vocis *gratiæ* tam clara & certa sit *notio*, ut eam vel simplicissimi homines capiant, jure tamen queritur magnus quidam Theologus: *Vox spiritus & gratiæ nostro seculo merus est nasus cereus, quem plurimi flectunt & formant pro libitu.* Neque enim desunt, qui Gratia Dei alios atque alios operandi modos fingentes, eam in *congruam & incongruam, sufficientem & insufficientem, universalem & particularem* dispescunt, ut alia *distinctionum dedecora* præteream, quibus tanquam grallis ad obsecuras;

sc̄uras errorum speluncas properant, ubi alii *Pelagianismum*, alii *particularismum*, alii alia opinionum monstra amplectuntur. Intera firmum manet effatum Pauli: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei* 1 Cor. II. 14. Et quod ad *universalitatem* gratiæ Dei attinet, eam extra controversiam ponunt, inter alia, hæc dicta Scripturæ: Sic Deus dilexit *mundum*, &c. Joh. III. *Mundum* sibi reconciliavit 2 Cor. V. 19. Annunciat *Omnibus* ubique resipiscenciam Act. XIV. 30. Vult *omnes* salvari, &c. 1 Tim. II. 4. Misereri *omnium* Rom. XI. 32. Quare etiam Christus mortem gustasse dicitur *ὐπὲρ πάντων* *pro omni*, h. e. toto genere humano Hebr. II. 9: quandoquidem Salvator adpellatur **OMNIUM**, maxime eorum qui credunt 1. Tim. IV. 10.

§. IV.

Nunquam vero in adstruenda *vera* et removendis *falsis* Tropologiis adeuratioꝝ & sollicitior est Spiritus Sanctus, quam cum in eò est, ut *modum* describat, *quo justificantur homines peccatores*. Neque enim sufficere putat docuisse, objectum justificandum esse τὸν ἀδικεῖν, *injustum*, qui nihil habet, quod ex propriis meritis conferat Rom. IV. 5. et *negotium justificationis ex FIDE in Christum*, in solidum pendere, sed simul etiam emphatice inculcat, id fieri *gratis*, et *sine operibus* legis Rom. III. 22, 28. Gal.

II. 16. Nihil igitur expressæ Scripturæ Litteræ magis esse potest contrarium, quam cum homines peccatores *propriis meritis justificari* statuuntur, quem errorem solenniter errat *Ecclesia Pontificia*, cujus Doctores, quamvis eum frustra mitigare conentur, precaria distinctione adhibita inter *meritum ex congruo*, et *meritum ex condigno*, cum utrumque Scripturæ adversum teneat. Nulla vero in hac doctrina neque *insulsior* neque *absurdior* cogitari potest *Tropologia*, quam cui locum fecit nefandum Pontificiorum figmentum de operibus, quæ dicunt, *supererogationis*, ex quo discere licet, quousque insaniam progredi possit ingenium humanum, cum semel delirare incepit.

§. V.

In *Ecclesia Protestantium* omnem *justificationis* laudem a propriis hominum *meritis* non minus diligenter, quam sapienter remove solent Theologi, qui eam ex *sola Christi justitia* in solidum derivandam esse docent. Sed neque horum omnes eandem *Tropologiæ* notionem sequuntur. Nam cum *persona Christi* ex duabus constet *naturis*, divina et humana, justitiam ejus trifariam dividunt ita, ut aliam *divinæ*, aliam *humanæ* *Ejus naturæ*, aliam toti *personæ* tri-cuendam esse, sciscant. Qui *Orthodoxiæ* laudibus florent, ii hominum peccatorum justificationem re-
petunt

petunt ex ea *justitia*, quam ut Θεάνθρωπος, *utraque natura* concurrente, adquisivit, cum *se sciens et volens*: Legi *subjecit et in natura implevit* quicquid sacrificia Levitica in *figura adumbuaverant*. Hoc cum *inmensum perpesionum cumulum et cruentum supplicium mortis* potissimum respiciat, factum inde est, ut qui Christum *vera fide* recipiunt, Ejus *sanguine mundari* Ejusque *vulneribus et cicatricibus* sanari in multis Scripturæ locis dicantur v. g. Es. LIII. 5. I. Joh. I. 7. Ebr. XIII. 12. Apoc. I. 5. V. 9. VII. 14. XIX. 13. Ab hac *media via* utrinque recessum fuit, *And.* OSIANDRO dextrorsum, et *Franc.* STANCARO sinistrorsum declinante. Ille enim SOLIUS, *divinæ*, hic SOLIUS *humanæ* Christi naturæ *justitia* peccatores justos declarari disputavit.

§. VI.

Ad *Tropologiam* hujus generis referri quoque potest quæstio de *modo*, quo *justificatio* tum a Salvatore *peragatur*, tum a peccatore *cognoscatur*. Quod ad prius attinet, jam monitum est, *fidem, sine operibus*, esse ipsum quasi instrumentum, quo hoc summum et maximum Dei beneficium in vero Evangelii verbo oblatum recipimus. *Fides* vero non est *erudita* quædam *scientia* eorum, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria, sed *plena persuasio* et *firma convictio* de veritate eorum, quæ Deus O. M. nobis

Ibis de salute obtinenda revelavit, cujus ea est vis, ut perpetuo *esuriamus et sitiamus justitiam*, donec ea ad votum saturemur, Ebr. XI. 1. Matth. V. 6. Hæc fides Christum, non *somnians*, sed *vigilans* adprehendit, ob eamque causam justificatus sibi *consciens est* dulcissimi *solatii*, quod Christus in omnes *animi facultates* effundit. Quotquot Eum receperunt, eis dedit *ἐξουσίαν τέσσα Θεῶ γενέσθαι*, potestatem evadendi filii Dei Joh. I. 12. Præcipuus justificationis fructus est *εἰρήνη*, pax, teste Paulo: *Justificati ex fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem aditum quoque habemus ad eam gratiam in qua stamus* Rom. V. 12. Peccatis nondum remisissis Deum occulto persequuntur odio Rom. VIII. 7. Eph. II. 5, 17. Jac. IV. 4. Si hoc aliunde non constaret, ex diro illucesceret odio, quo veros *Dei filios* infestant, Matth. X. 22, 25. Marc. XIII. 13. Luc. XXI. 17. Joh. XV. 18, 19, 20. Præterea nihil aliud, quam *odium Dei* involvit *perpetuus verbi Divini contentus* et *continuum fastidium omnis veræ pietatis*, quod homines omnium ordinum quotidie ostendunt. Ex quo vero ex *injustis justis* facti inveniuntur, dulcissima PAX et intra et extra dominari incipit. Intra *tranquilla* viget *conscientia*, et extra *pacifcus* floret *convictus* cum aliis.

§. VII.

Haec de iis egimus *Tropologiis*, quæ in Scriptura disertis verbis exprimuntur, et nihilo tamen

men minus variis *modis* partim *commutari*, partim *perverti* solent. Nunc eas attingemus, quas Sacrae Litterae prorsus *praetercunt*, vel quod, in aprico posita, omnibus *patent*, vel quod adeo *arcanæ* et *occultæ* sunt, ut *ingenio humano* penitus *imperviae* sint. Prioris generis exemplum ex ipsa Dei existentia desumemus. DEUM ESSE et naturæ et Scripturæ liber singulis paginis testatur, quo autem *modo* sit, ideo non docet Sacer Codex, quod nullum tam stupidum supponit, quin, vel nullo usus magistro, intelligat, Deum esse alium a toto mundo, et a singulis creaturis diversum. Interea non defuerunt, qui Eum ita existere somniarunt, ut aut ipse mundi corporei anima esset, aut mundus corporeus nihil nisi Dei modificatio existeret. Ridiculam sententiam ridiculo argumento refutare liceat. Si quis sartori tunicam et futori occream conficiendam traderet, et, utraqve confecta, veniret qui quæreret, aut utrum sartor tunicæ et futor occreae anima esset? aut utrum tunica sartoris et occrea futoris modificatio existeret? nonne possessorem tunicæ et occreae cerebro laborare crederemus si ad has quæstiones affirmando respondere sustineret?

§. VIII.

Deum esse *unum* simulque *trinum*, ex Sacris Litteris haud obscure constat, ipsum autem *modum*, quo *unus tres* et *tres unus* sint, nobis penitus absconditum

ditum esse voluit Deus Sapiientissimus, qui citra controversiam sanctissimas habuit causas, cur stupendum hoc mysterium non revelaverit, et, nisi animus me valde fallit, plus solatii nobis percipere licet ex *ignoratione*, quam ex *cognitione modi*, quem Tropologi, majori audacia quam prudentia, investigare satagunt. Quæ Deus Pater, quæ Deus filius, et quæ Deus Spiritus Sanctus nobis præstat beneficia, ea tam multa et magna sunt, et tam diserte in Scriptura Sacra novi Fœderis describuntur, ut fortiora amoris, reverentiæ et obedientiæ motiva non habuissemus, si *naturam* hujus arcani vel liquidissime nobis perspectam haberemus. Neque enim *multa* et *magna*, sed *vera* et *viva* est illa *scientia*, quæ pietatis *igniculos* accendit. Et si hos inflammare studueris, ut vehementius exardescant, follem frustra mutuaberis a *Tropologia*, quippe quæ omnium inertissima est, nisi ab ipso Deo in *Sacris Litteris commendata fuerit*. Infantulus uberibus satiatus et osculis exhilaratus maternis, sed nullis adhuc Litteris initiatus, matrem multo *amat sincerius*, multo *colit simplicius*, quam cum, robustior factus, *modum* resciverit, quo ortus sit. Quod ad Deum attinet, novisse sufficit, quod in Eo venerari liceat *PATREM mitissimum*, *FRA- TREM fidelissimum* et *PRÆCEPTOREM sapientissimum*, quorum ūnguli nihil reliqui fecerunt, quod ad nos in hac et altera vita beandos pertineat.

§. IX.

Venio nunc ad *Tropologiam* omnium *vexatissimam*, de qua inter primipilos Reformationis curiosius, quam fructuosius et vehementius, quam sapientius disputatum fuit, non meliori effectu, quam ut occasionem daret *scismati*, quo Ecclesia Evangelica, in duas *divisa sectas*, in mutua viscera sævire inciperet, altera alteram ignominiose tractante, dirisque execrationibus devovente. *Controversiam* loquor *Sacramentariam* de *præsentia corporis et sanguinis Christi* in *sacra Cæna*, in qua utraqve pro sua pugnat *Tropologia*, eamque sæpius *convitiis* explodendis, quam *argumentis* proferendis tueri satagebat. In antiqua Ecclesia nihil certi de hac *Tropologia* definitum erat, idque eo minus necessarium fuerat, quod ipse Christus ne verbum quidem fecerat de modo. Et quamvis Paulus inter cœlestem et terrestrem *Sacræ Cænæ* materiam *κοινωνίαν*, communionem, intercedere doceat, exinde tamen plus non sequitur, quam quod ii, qui *panem et vinum participant* consecratum, etiam eodem actu *corporis et sanguinis Christi participes fiunt*. Hactenus igitur de modo participandi non constat. Et quamvis locus non esset participationi, si non *præsentes*, sed *absentes*, essent *res Cænæ Dominicæ cœlestes*, tamen ne sic quidem modum certo determinatum habemus. Interim eos, qui in *Symbolis* externis nihil nisi *nuda et mera* inveniunt

signa,

figna, toto cœlo errare, certum est. Nam si *verbum nudum*, quod per *unum* duntaxat *sensum*, nimirum *auditum* Rom. X. 17. animo, ope *signorum*, se infinuat, *δύναμις*, Θεῶν, *potentia Dei*, Apostolo dicitur Rom. I. 16. nonne *verbum vestitum*, quod per *omnes* simul *sensus* in animum penetrat, idem sibi prædicatum adhuc fortius vindicare potest? Quid vero a *priori* de hoc disputamus argumento, quod a *posteriori* multo rectius et certius cognoscitur? Qui enim *Sacra Cœna digne* utitur, is de *reali præsentia* corporis et sanguinis Christi eo minus dubitare potest, quo certius tantas divinæ gratiæ divitias experitur, ut vere dicere possit: quod *oculus non vidit, quod auris non audivit et quod in cor hominis non ascendit, id iis paravit, Deus qui Eum diligunt*, I. Cor. II. 9.

